

# PAVLVS PAPA V.



D PERPETVAM REI MEMORIAM. Nuper ad nos perlatum eſt Religioſos Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum prætextu cuiuſdam Indulti Apoſtolici dicto Ordini antiquitùs conceſſi, ac demùm per fel. rec. Clementem Papam VIII. Prædeceſſorem noſtrum per ſuas in huiuſmodi forma Breuis literas datas 25. Decembris 1596. Pontificatus ſui anno quinto, aboliti, & reuocati, aut forſan alterius, Profeſſores Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum nuncupatorum,& alios regulæ ſtrictioris in eorum ſodalitatem, ſeù Domos,aut Conuentus recipere. Quare cum id ſæpiùs meritas pœnas eludendi cauſa fiat,& ex hoc multa ſcandala in populo generentur, & alia multa incommoda naſcantur. Nos huiuſmodi ſcandalis obuiare,& quieti Religioſorum amplius proſpicere cupientes,ne quis Prælatorum, ſeù Superiorum,aut Fratrum Conuentuum, ſeù Domorum dicti Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum,tàm in Regnis Hiſpaniarum, quàm alibi conſiſtentium, quauis ille dignitate, præeminentia, prærogatiua, vel munere fungatur, prætextu cuiuſuis indulti, ſeù priuilegij Apoſtolici recipere audeat, vel præſumat cauſa quarti voti, quod ipſi Profeſſores Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede huiuſmodi faciunt, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, diſtrictè prohibemus. Non obſtantibus priuilegijs, ſeù indultis huiuſmodi, ac quibuſuis conſtitutionibus,& ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede iuramento, confirmatione Apoſtolica,vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & literis Apoſtolicis illi ſub quibuſcunq; tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis; Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, illorumq; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeù quæuis alia expreſſio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub Annulo Piſcatoris, die vij. Iulij M. DC. VIII. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

Scipio Cobellutius.

*ROMAE, Ex Typographia Reu. Cameræ Apoſtolicæ. M. DC. VIII.*

# PAVLVS PAPA V.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM. Nuper ad nos perlatum est Religiosos Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captiuorum praetextu cuiusdam Indulti Apostolici dicto Ordini antiquitus concessi, ac deinum per fel. rec. Clementem Papam VIII. Praedecessorem nostrum per suas in huiusmodi forma Breuis litteras datas 25. Decembris 1596. Pontificatus sui anno quinto, aboliti, & reuocati, aut forsan alterius, Professores Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, & alios regulae strictioris in eorum sodalitatem seu Domos, aut Conuentus recipere. Quare cum id saepius meritas poenas eludendi causa fiat, & ex hoc multa scandala in populo generentur, & alia multa incommoda nascantur. Nos huiusmodi scandalis obuiare, & quieti Religiosorum amplius prospicere cupientes, ne quis Praelatorum, seu Superiorum, aut Fratrum Conuentuum, seu Domorum dicti Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captiuorum tam in Regnis Hispaniarum, quam alibi consistentium, cuiuis ille dignitate, praeeminentia, praerogatiua, vel munere fungatur, praetextu cuiusuis indulti, seu priuilegij Apostolici recipere audeat, vel praesumat causa transitus, quod ipsi Professores Ordinis Beatae Mariae de Mercede huiusmodi faciunt, Apostolica auctoritate tenore praesentium, districte prohibemus. Non obstantibus priuilegijs, seu indultis huiusmodi, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis Beatae Mariae de Mercede iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis illi sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis; Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaeuis alia expressio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, caeterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem, vt praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris, die vij. Iulij M. DC. VIII. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Scipio Cobellutius.

ROMAE, Ex Typographia Reu. Camerae Apostolicae. M. DC. VIII.